

abc

24 (*Annunziata*, n. 598)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

abc

24 (Annunziata, n. 598)

1491 luglio 7, Ind. IX, Matera

In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo nonagesimo primo. Regnante... Ferdinando Dei gratia Sicilie, Ierusalem et Hungarie rege, regnorum ... eius in hoc regno Sicilie anno tricesimo tertio ..., mense iulii, die septimo eiusdem, none indictionis, Mathere. t

Nos Nicolaus Venusius, aromatarius de dicta civitate ... per totum regnum Sicilie citra farum regia auctoritate ad contractus iudex, Eustasius de Aurificibus, de dicta civitate ... puplicus ubilibet per totum regnum Sicilie citra farum regia auctoritate notarius, donnus Nicolaus Desperto, donnus Grabill Antony Paruly et notarius Robertus Agathus, testes ... de affata civitate ... fatemur ... quod ..., ad requisitionem et preces nobis factas per magistrum Isac iudeum Caspy, procuratorem generalem Samuelis magistri David de Leone ..., nos personaliter contulimus ad domum habitationis ... magistri Iacobelli Depesco chirurgici, de eadem civitate, sitam in corpore civite ipsius civitatis ... in pictagio maioris ecclesie Matherane, iuxta domum heredum Thomasii de Atella et iuxta viam puplicam ..., penes quam magistrum Iacolellum seda et protecolla contractuum gestorum et celebratorum per condam notarium Paulum Pescum, fratrem ipsius magistri Iacolelli, existere noscuntur et conservantur; et cum ibidem essemus ... dictus Isac Caspi iudeus ... asseruit ... quod de anno elapso prime indictionis condam Angelus Leonis de Cassano vendidit magistro David, iudeo de Tricarico, patri supradicti Samuelis, foveam unam ad usum reponendi fromentum, sitam ... in civitate Mathere, in loco dicto lo Lambardo, in pictagio ecclesie sancti Laurentii, iuxta hortum Augustini de Salerno, iuxta viam, iuxta foveam Iacobi

de Loysio, ... pro pretio ... unciarum duarum ..., de quo dictus Isac ... asseruit contractum fuisse factum ... per manus supradicti condam notarii ... ex quo contractu, priusquam idem notarius ... puplicum assuncisset instrumentum, fuit morte preventus. Cumque ipsi Isac... expediat habere instrumentum supradicte fovie, ipsum contractum autenticari et in puplicam formam redigi facere nos ..., ex parte sacre regie maiestatis requisivit, quatenus seda et protecolla factorum contractuum per affatum notarium et presertim in anno prime indictionis nobis exhiberi facientes iuxta tenorem // (452v) privilegii mihi, notario Eustasio, concessi per sacram regiam maiestatem et perquirere de contractu ad contractum diligentius deberemus et inventam abbreviaturam ipsius contractus exemplare, annotare et in puplicam formam redigere deberemus, iuxta formam sacrarum regni constitutionum... Nos itaque ..., exhibitis prius nobis per affatum magistrum Iacobellum dictis sceda et protecolla, quibus accuratius per nos de contractu ad contractum perquisitis, invenimus ... quamdam abbreviaturam contractus tenoris et continentie subsequentis, videlicet: In Dei nomine amen. Rex Ferdinandus regnorum eius anno vicesimo quarto. Anno domini nostri Iesu Christi millesimo quadrigentesimo octuagesimo secundo, mense septembris, die duodecimo eiusdem, prime indictionis, Mathere. Nos Franciscus de Ulmo de civitate Mathere regius iudex ibidem ad contractus, Paulus Pescus de civitate predicta puplicus ets. Eustasius de Marco, Antonellus Francisi de Angelis, Valentinus de Gactino et Thomasius domini Eustasii de Risanis, de Mathera, testes ets. fatemur quod ..., constitutis Angelo Leonis de Cassano, de civitate Mathere ... et magistro David de Leone, fisico, iudeo de

Tricarico, habitatore in Mathera ..., prefatus ... Angelus ... asseruit ... se habere ... foveam unam ad usum reponendi fromentum sitam ... in civitate Matere, in loco dicto lo Lammardo, in pictagio ecclesie sancti Laurentii, iuxta ortum Agostini de Salerno, iuxta viam publicam, iuxta foveam Iacobi de Loysio ... et placuit eidem ... supradictam foveam, cum gire onerandi et exonerandi ... vendere; qua propter ... vendidit ... supradicto magistro David ... supradictam foveam ... pro ... pretio unciarum duarum Quam quidem abbreviaturam et omnia alia suprascripta inventa in dicto protocollo annotavimus, legimus, ascultavimus et diligenter inspessimus et erat non abrasa, non cancellata. Post cuius quidem contractus inventionem, volentes exequi auctoritatem et potestatem per ... sacram regiam maiestatem mihi notario ... concessam, primo cum iuramento interrogavi infrascriptos testes liciteratos, videlicet donnum Nicolaum Desperto, donnum Rafaelem Antonii Parulli et notarium Robertum Hagatum de Mathere, si manum et scripturam ipsius condam notarii Pauli cognosceret si dicta abbreviatura contractus ac etiam rubricam in ipso protecollo inventam et // (453r) omnia alia inventa et annotata manu eiusdem notarii Pauli premortui atque si dictus notarius ... quousque vixit fuerit fidelis atque legalis, optimeque opinionis et fame; qui eorum iuramento affirmaverunt se ipsos cognoscere notam manum et scripturam ipsius condam notarii ... dictumque contractum ... esse manu et scriptura eius ..., eundem notarium ... fidelem atque legalem fuisse, optimeque opinionis et fame. Merito igitur actentissime supradictis omnibus sic discussis ... dictum contractum et abbreviaturam ... exemplari ... secundum quod in dicta abbreviatura continetur et iacet transuntavimus

et autenticavimus et in presentem puplicam formam
redigimus ...

1

2

3

Ego Franciscus de Ulmo de Matera qui supra regius ad
contractus iudex fateor intervenisse in primis gestis me
subscrissi

Ego Thomasius Rosanus qui supra testis fateor
intervenisse in primis gestis

Ego Nicolaus Venusius aromatorius regius qui supra
ad contractus iudex in secundis gestis pro iudice interfui
et me subscrissi

Ego d. Gabrieli Antonii Parulli qui supra testis testor
intervenisse in secundis gestis

Ego Antonellus Francissi de Angelis qui supra testis
fateor intervenisse in primis gestis et me subscrissi

Ego notarius Robertus Agathus qui supra testis fateor
intervenisse in secundis gestis et me subscrissi

4

5

6

Per questo personaggio cf. Prefazione p. 23.

Così F

Così F

Così F

Così F

Così F

